



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Vnigeniti Filii Dei, Virtute Altissimi mirabiliter obumbrante, Matri, Simvl Et
Virgini, In Primo Instanti Svæ Conceptionis, Et Semper, Priuilegio
Potentissimi singulariter præseruante ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](#)

VNIGENITI FILII DEI,
Virtute Altissimi mirabiliter obumbrante,
MATRI. SIMVL ET VIRGINI.

IN PRIMO INSTANTI SVÆ CONCEPTIONIS, ET SEMPER,

Priuilegio Potentissimi singulariter præseruante,

ab omni labo originalis, & actualis peccati

PRORSVS IMMVNI.

Seu Sanctitas eius, seu Gratia, seu Gloria spectetur,

SOLO, QVEM PEPPERIT, DEO

MINORI.

Residuà hominum, angelorumque multitudine collectim etiam sumptâ

MAIORI.

TOTIVS VNIVERSI REGINAE, DOMINAEQVE

MARIAE,

Ab omnibus Filij thesauris Sapientiæ, & Scientiæ in se reclusis

DITISSIMAE,

Inuestigabilium Diuitiarum, atque adeò Perfectionum Dei

OCVLATISSIMAE EXPLORATRICI, FELICISSIMAE INVENTRICI,

MAGISTRÆ SAPIENTISSLIMÆ

Hoc Opus pro eisdem vtcunque intra præsentis Status cali-
ginem vestigandis eius ope compositum, vt sub ipsius præ-
sidio tutum, & vtile, sub ipsiusque lumine clarum, &
gratum prodeat in lucem, obsequij item, atque
gratitudinis ergo eiusdem indignissimus
seruus humiliter offert, dicat,
consecratque.

SEBASTIANVS IZQVIERDO
SOCIET. IESV.

ANICENTI ET HILII DEI

Virgo Angelum utriusque operis posuit

MATER SIMEON ET VIRGIN

In primo instanti sue conceptione, in semper

Utriusque Poterit illius fuisse sicut et bisgetum

de omni ipsa origine, et causis locis

PRORSUS TMMVNI

Secundum sanctissimam Genesim, non Giotto negligetur

Scote, Oiam pitteri, deo

MINORI

Rebus potiorum, ad quod de multis et colligendis in tam

MATORI

TOTIAS ANIVERSI REGNIAE DOMINI

MARIA

Ad omnium filii fratrum speciem, a scilicet et lectoris

DITISSIMA

Insuper hanc ueritatem, quae est deo

OCULATISSIMA ET DEDICATA, non habere multa

MAGIS ET HABITISSIMA

Hoc Opus, quoq[ue] a monachis, et priore suorum est

Breviarii Anglie, cum eiusdem monachis quibus

Unguentum, & cibis, ut per se, et per suos

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Ecclesiasticis, et ecclesiasticis, et ecclesiasticis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

Opus, quod in se, et in aliis, et in aliis

CLARISSIMO
PRINCIPI,
ATQVE
EMINENTISSIMO DOMINO
D. PASCHALI
DE ARAGON

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Presbytero titulo
Sanctæ Balbinæ, Regi Catholico Hispaniarum
Philippo Quarto à Consilijs Status,
& Belli, &c.



Blatum DEIPARAE de Deo Opus ad te quoque PRINCEPS
EMINENTISSIME deferendum putau: tum quia tenuitas
mea vbiue indiget Patrocinio, in Ccelo, & in Terra: tum
etiam quia sub Celi, Terræque lumine prodire debet, quod
prodit ad indicandam Magnitudinem eius, qui vbiue præ-
fens implet Cœlum, & Terram. Electa itaque Dei Matre,
pro cœlesti præsidio, & lumine, dum me ad terrestre deligen-
dum conuerterem, statim EMINENTIA TVA eà, quam ha-
bet, celsitudine eximià, & claritate singulari, vt te deligerem in Patronum, omni
præuià deliberatione interclusa, quasi coegit; quamdamque, non quidem præcipi-
tem, sed prudentem, non violentam, sed iucundam necessitatem imposuit. Igitur,
vt & iudicij, factique mei pateat necessitas, atque necessitatis ratio, & veritas, aliqui-
bus forsitan ignota, sub silentij tenebris oppressa non maneat, Modestia tuae graue
esse non debet, (tametsi ea, tanta cum sit, non possit non ruborem pati), quod ex-
celissimæ iuxta, atque clarissimæ Magnitudinis tuae, si non facundi Commendato-
ris, simplicis saltem Narratoris in præsentia fungar officio. Oportet siquidem, vt
modestia patiatur ruborem, ne veritas suo, atque adeò sibi debito, candore fraude-
tur. Præsertim cum modestiam rubor non minus, quam candor veritatem illustret.
Iam verò, cum publica hominum, & quotidianis firmata experimentis confessio sit,
omnia in te uno tum humanæ Excellentia, tum sacræ Eminentia splendida orna-
menta ita micare, vt verè de te cani possit illud

Quæ sparguntur in omnes,

In te misa fluunt: & quæ diuisa beatos

Efficiunt, collecta tenes.

Ne copia argumenti me in infinitum abire faciat, quatuor felicem velut heroicæ
magnitudinis rotas triumphalis currus, quo Gloria tua feliciter vehitur. Videlicet
Nobilitatem, Sapientiam, Probitatem, & Dignitatem. Siquidem Nobilitas Glo-
riam inchoat, amplificat Sapientia, perficit Probitas, Dignitas promouet, & coronat.

Atque,

Claud. in
Stilic. lib.

I.

Atque, vt à Nobilitate, aurorà vtique Principum, & venâ quadam immortali-
tatis, incipiam, Genus tam antiquum, tam diffusum, tam illustre tibi est, vt per
catenam quamdam plūs, quām Homericam, quā consanguinitatis, quā affinitatis
vinculis connexam inter altissima Terrarum Diademata verseris, & usque ad supre-
ma generis humani fastigia caput attollas; supremæque idcirco nobilitatis humanæ
particeps sis. Si enim definiens Arist. Nobilitas dignitas quedam Majorum est. quan-
ta Nobilitas tua erit, cuius Majorum dignitas quoquouersum spectata penè est im-
mensa? Id quod, ne hyperbolice loqui videar, aperte, & ordine demonstrare, as-
sumpti à me munerus est.

Arist. lib.
2. Rhetor.
cap. 15.

Genes. 35.
v. 18.

Primum sese exhibent tantæ veluti molis fundamenta Excellentissimi Paren-
tes, quorum sanguine animatus non minus gloriae, quām vītæ, iubar haufisti. Hi
fuere D. D. Henricus Ramon, Folch, Aragon, Cardona, & Cordoua Dux de Se-
gorbe, & de Cardona, Magnus Regnum Aragoniæ Comestabilis, Comes de
Ampurias, & de Prades, Vicecomes de Villamur, Marchio de Pallas, & de Coma-
res, ac Dominus plurium Ciuitatum, Baroniarum, Villarum, & Locorum. Et
D. D. Catharina Fernandez de Cordoua eius vxor filia D. Petri Fernandez de Cor-
doua, & Figueroa Marchionis de Priego, &c. Per quem utrumque Parentem,
præterquam ab alijs mox recensendis, à nobilissimis Familij Marchionum de Prie-
go, & Marchionum de Comares tuam ducis originem. Porro ex hisce Parentibus
post quatuor alios Fratres, & quatuor Sorores (ijs tibi velut luminibus totidem
præludentibus) ultimus ottus es, quasi alter Beniamin, id est filius dextra. Felix
scilicet, strenuus, & fortis, vt in dies comprobant euentus. E quibus Fratribus Pri-
mogenitus adhuc superstes, successorque in Parentum statibus est D. D. Ludouicus
de Aragon, &c. Eques Veilleris aurei. Qui primam vxorem habuit D. Marianam
de Sandoual Ducissam de Lerma proprietariam, atque adeò Dominam omnium
statuum Ducum de Lerma. Modò autem secundam habet D. Marianam de Venau-
des filiam Comitis de Santisteban Proregis nunc Peruani Regni. Secundus Fra-
trum est D. D. Petrus de Aragon Regi Catholico Philippo Quarto à Consilijs Belli,
atque è Proceribus à Cubiculo, hispanè *Gentilhomme de la Camara*, (vti olim quo-
que fuit ipsius Regis Primogenito Balthasarí Hispaniarum Principi vitæ defuncto),
Germanicæ cohortis prætorianæ Præfetus, hispanè *Capitan de la Guarda Tudeca*,
Ordinis Alcantaræ Clauiger Maior, & apud Alexandrum Septimum Pontificem
Maximum eiusdem Regis Catholici Orator ordinarius, nunc Romæ præsens cum
suā nobilissimā Coniuge D. D. Annā de Cordoua Ducissā de Feria. Tertius Fra-
trum fuit D. D. Antonius de Aragon eidem Regi à Consilijs in Hispanis tum Sanctæ
Inquisitionis, tum Ordinum supremis Senatibus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-
inalis Diaconus, ante impletum suæ creationis annum vitæ defunctus. Quartus
denique Fratrum est D. D. Vincentius de Aragon superstes adhuc, & vel solo nomi-
ne clarus in Regnis Hispaniæ. Sororum autem una fuit D. Anna, quæ nupsit
D. Roderico Ponce de Leon Duci de Arcos. Altera D. Chatarina, quæ maritum
habuit D. Ludouicum de Haro Comitem Ducem de Oliuares, Marchionem de
Carpio, &c. Reliquæ duæ D. Ioanna, & D. Franciscæ à morte in tenera etate
fuerunt abreptæ.

Iam post Parentes libeat CARDINALIS AMPLISSIME, vt spectemus imagines
tuorum reliquorum Majorum, per quas repræsentatur ordinata tanti series splendo-
ris. Auus tuus fuit D. D. Ludouicus Ramon, Folch, Aragon, Cardona, & Cordoua
Comes de Prades, (qui morte præuentus Parentum superstitem hæreditatem adire
non potuit). Auia autem D. D. Anna Henriquez de Mendoza filia D. Ludouici
Henriquez de Cabrera Almirantis Castellæ. Quā alia tua venit origo ex clarissimā
Dynastiæ, atque ab stirpe regiæ oriundæ Almirantium Castellæ.

Proaurus

Proauus D. D. Didacus Fernandez de Cordoua Marchio tertius de Comares, &c. Proauiaque D. D. Ioanna Ramon, Folch, Aragon, & Cardona Ducissa de Segorbe, & de Cardona, Marchionissa de Pallas, Comitissa de Prades, &c.

Abaeus, seu tertius auus tuus fuit D. D. Alfonsus de Aragon Dux de Segorbe, & Comes de Ampurias. Abaia autem, seu tertia auia D. D. Ioanna Ramon, Folch, & Cardona Ducissa de Cardona, Marchionissa de Pallas, Comitissa de Prades, Vicecomitissa de Villamur, &c. Per quorum nuptias Status Ducum de Segorbe, & Comitum de Ampurias coniuncti cum Statibus Ducum de Cardona, Marchionum de Pallas, Comitum de Prades, &c. in unum deuenerunt dominium.

Tritaus, seu quartus auus D. D. Henricus de Aragon, Infans Fortunae nuncupatus, Dux de Segorbe, & Comes de Ampurias. Quarta auia D. D. Guiomar de Castro, & Portugal filia Comitis de Faro, neptis D. Ferdinandi secundi Ducis de Berganza, proneptis D. Alfonsi primi Ducis de Berganza, atque adeò abneptis D. Ioannis primi Lusitanorum Regis. A cuius latere propterea alia tuarum originum à Regibus Lusitanorum descendit per domum Brigantinam.

Quintus auus D. D. Henricus de Aragon Dux de Segorbe, & Comes de Ampurias, Magister Ordinis S. Iacobi. Et auia quinta eius vxor D. D. Beatrix Pimentel filia Comitis de Benavente, Perquam alia tua fluit origo ex Comitum de Benavente progenie nobilissimà. Fuit autem Henricus iste unus (secundus scilicet) ex celebratissimis illis Infantibus de Aragon, sic dictis per antonomasiā. Quos filios habuit D. Ferdinandus Rex Aragoniæ (de quo statim), & quorum priscus ille Poeta hispanus meminit, quando dixit,

D. Georgius Manrique.

Que se hizo el Rei Don Juan.

Los Infantes de Aragon que se hicieron.

Etenim sextus tuus auus fuit EMINENTISSIME DOMINE D. Ferdinandus huius nominis primus, cognomento *Honestus*, Rex Aragoniæ decimus sextus, Comes Barcinonis ex proprietarijs vigesimus primus: atque etiam Rex Siciliæ. Sexta autem auia Regina vxor eius D. D. Eleonora de Alburquerque Sanctij de Alburquerque Comitis unica filia, & herès, fœminaque eà tempestate celebratissima: quæ, antequam ad regnandum consenderet, propter Principatus amplitudinem, & diuitiarum opulentiam hispanè dicitabatur *La rica hembra*. Hic Rex Ferdinandus ob morum probitatem, & honestatem dictus *Honestus* (cum esset Infans Castellæ filius videlicet Regis Castellæ D. Ioannis primi huius nominis, & Reginæ D. Eleonoræ filiæ D. Petri quarti huius nominis Regis Aragoniæ decimi tertij) per solemnissimam sententiam nouem Iudicum ex Regnis Cataloniae, Valentia, & Aragoniæ per ternarios deputatorum (è quorum numero fuit unus S. Vincentius Ferrerius) Auunculo suo D. Martino unico huius nominis Regi Aragoniæ decimo quinto successit in Regnis.

Hic opus est sistere gradum, seu potius, veluti retrocedendo, descendere: atque ita pullulantia hinc Regiæ Nobilitatis germina recognoscere. Ninimum huic Ferdinandi primo in eisdem Regnis successit primogenitus eius D. Alfonsus huius nominis quintus, cognomento *Magnanimus*, Rex Aragoniæ decimus septimus. Qui, defecū alterius heredis, suffectus est ipsius frater natu secundus, & laudatorum Infantium Aragoniæ primus D. Ioannes: qui iam erat Rex Nauarræ trigesimus tertius: fuitque Aragoniæ Rex decimus octauus. Huic autem in eisdem Regnis successit filius Ferdinandus secundus huius nominis, dictus per antonomasiā *Catholicus*, Rex iam ante quatuor annos Castellæ propter connubium initum cum Reginâ Elisabethâ, quæ suo fratri Regi Henrico absque alio herede decedenti in Regnis Castellæ successerat.

Quibus in dictis omnibus Regnis successit eorum filia omnium Reginæ

† †

D. Ioan-

D. Ioanna . Quæ matrimonium contraxit cum Archiduce Austriae Philippo primo
huius nominis filio Maximiliani Imperatoris .

His autem per vnam, primamque lineam successit in eisdem Regnis eorum,
filius Carolus quintus Imperator . Ex quo Philippus secundus Rex Hispaniarum .
Et ex hoc Philippus tertius Rex pariter tot Regnorum . Ex quo tandem Philippus
quartus hodie regnans . Ex cuius sorore D. Annæ Mauriciæ de Austria Ludouico
decimo tertio nuptâ natus est Ludouicus decimus quartus Rex Galliarum nunc
etiam regnans . Per alteram vero lineam ex eisdem memoratis Regibus D. Philip-
po primo , & D. Ioannâ descendit alter eorum filius D. Ferdinandus huius nominis
inter Imperatores primus , cui renuntiauit Imperium Carolus quintus : & qui per
nuptias initas cum D. Annâ Pannoniæ , & Bohemiæ Reginâ horum Regnorum fuit
etiam Rex . Ex hoc autem Ferdinandando natus est Carolus Archidux Austriae : cuius
filius fuit Ferdinandus secundus , ad quem deuenit Imperium cum prædictis Regnis
post mortem Rodolphi , & Mathiæ Imperatorum , & fratrum ; qui vnu post alte-
rum suo parenti Maximiliano etiam Imperatori , & filio Ferdinandi primi succe-
sserant . Ferdinandus autem secundo in eisdem Regnis , & Imperio successit Ferdinandus
tertius eius filius . Et huic eius filius Leopoldus Imperator , & Rex postremus ,
qui modò regnat .

Quæ cùm ita sint , palam iam est EMINENTISSIME DOMINE , eumdem illum
Ferdinandum inter Aragoniæ Reges huius nominis primum , & ordine decimum
sextum cognomento *Honestum* , qui tuus sextus avus fuit , auum quoque sextum
fuisse Regis Hispaniarum Philippi quarti nunc regnantis : septimum autem Regis
Galliarum Ludouici decimi quarti ; & septimum etiam auum Imperatoris Leopoldi
hodie quoque regnantium ,

Vnde rursus apparet , EMINENTIAM TVAM in septimo consanguinitatis
gradu esse cùm Rege Hispaniarum Philippo quarto : in octavo autem tum cum Lu-
douido decimo quarto Rege Galliarum ; tum etiam cùm Imperatore Leopoldo .

Hæc tam præclara Nobilitatis Propago satis esset tuæ Gloriæ . Sed fas sit ,
aliquid antiquius addere ; ac nominare eos , qui dictum Ferdinandum *Honestum* sex-
tum tuum auum antecessere .

Habuisti quippe auum vigesimum tertium D. VVifredum , alias D. Iofre secun-
dum huius nominis , & primum proprietarium Comitem Barcinonis . Auiamque
vigesimam tertiam vxorem eius D. Guinidildam . Ex his ingens generis lux diffusa
fuit per gerinam lineam . Quarum altera dedit primum Comites Barcinonis ; de-
inde Reges Aragoniæ ; & postea Duces de Segorbe , & Comites de Ampurias Pro-
genitores tuos . Ita quidem vt D. Ramon Verenguer quartus huius nominis , & de-
cimus ex Comitibus proprietarijs Barcinonis , Vir & militiæ laude , & sanctimoniae
vitæ clarissimus , per connubium initum cùm D. Petronilla Aragoniæ Reginâ Rex
quoque ejusdem Regni creatus sit ordine quintus . Quem non interruptâ successio-
ne sequuntur yndeçim Reges usque ad Ferdinandum iam memoratum cognomi-
ne *Honestum* Autorem Ducum de Segorbe , & Comitum de Ampurias , ac sextum
auum tuum . Per alteram lineam ex præfatis D. VVifredo , seu Iofre , & D. Gui-
nidilda descenderunt antiquissimæ æquæ , ac nobilissimæ familie Comitum primò ,
posteaque Marchionum de Pallas : Vicecomitum principiò , deinde Comitum , ac
tandem Ducum de Cardona : & Comitum de Prades . Quorum omnium Princi-
patus , ut supra narravimus , per nuptias D. Alfonsi de Aragon abauit tui cùm D. Ioan-
na Ramon abauia in vnum coiuere .

Porro idem VVifredus , seu Iofre per nouem generationes , seu successonis vi-
ces ortum duxit à Clotario secundo huius nominis , & decimo Francorum Rege sub
annum 587 . Guinidilda vero eius coniux filia fuit Balduini Comitis primi Flan-
diæ ,

driæ, & Judithæ, Angliae antea Reginæ, viduæque reliæ ab Ethelulpho Angliae Rege; neptisque per matrem Caroli Calui Imperatoris, & Galliarum Regis vigesimi sexti sub annum 840, (cuius Juditha filia fuit); adeoque prœceptis Ludouici cognomento Pj Imperatoris, & Galliarum Regis vigesimi quinti sub annum 815; & abneptis illius potentissimi, celeberrimique Imperatoris, Regisque multorum regnorum, & Galliarum vigesimi quarti Caroli Magni sub annum 768.

Itaque, vti liquet ex memoratis, per VVifredum, & Guinidildam ex vnâ linea habes auum trigesimum secundum Clotarium secundum; & per hunc numeras etiam inter Maiores tuos reliquos Franciæ Reges vsque ad Pharamundum. Quem sub annum 421. primum suum Franci Regem crearunt, postquam è sua Franconia egressi bonam partem Galliæ occupauerant. Ex alterâ autem linea auum vigesimum quartum agnoscis Balduinum primum Comitem Flandriæ, & auiam eiusdem gradus Juditham Angliæ Reginam. Arque inde agnoscere debes auum vigesimum quintum Carolum Caluum; auum vigesimum sextum Ludouicum Pium; & auum vigesimum septimum Catulum Magnum Imperatores, ac Galliarum Reges: adeoque inter Tuos pariter numerare cæteros, qui hos præcesserunt, vsque ad memoratum Clotarium. Tanta est, tamque multiplex tuæ Nobilitatis origo.

Verum, cum summa haud dubiè, summoque in pretio habenda sint, quæ de Tuorum Nobilitate narrauimus; ne magna quidem tibi essent, si ea tua non fuissent facta tum à naturâ, tum à gratiâ, tum ab arbitrio. Nobilitas siquidem, quæ in Maiorum gloriâ consistit, in se spectata non nostra, sed aliena est. Nam vt benè ille, Nemo in nostram gloriam vixit. Nec, quod ante nos fuit, nostrum est. Vnde & alter accinit.

Qui genus iactat suum,

Aliena laudat.

In eamdemque sententiam pariter ille alias concinit.

Genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi,

Vix ea nostra voco.

Sed facta tamen tua sunt splendidissima ornamenta Tuorum. A naturâ quidem: quoniam Auctor naturæ vnâ cum sanguine regio indole te regiâ donauit. A gratiâ autem, & ab arbitrio: quia tu spontaneâ, atque indefessâ operâ, & studio, diuinâ cooperante gratiâ, tantis te meritis proprijs clarum fecisti, vt non minus videaris splendoris generi tuo detulisse, quam ab ipso receperis. Nam *sicut indigna posteritas*, ait Cassiodorus, *laudes antiqui generis abnegat; ita præclara de Patribus egregiè dista*. confirmat. Creditum est de his omni, quod legitur: dum præconia Veterum præfens docuit vena virtutum. Laudabilis enim vena suam seruat originem, & fideliter posteris tradit, quæ in se gloriosa transmissione promeruit. Si enim, vt ille alius dixit, *Quod optimum est, id est nobilissimum*. Et, contestante D. Hieronymo, *Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus*. Quantò meliorem in dies tete effecisti, ac virtutibus exornasti, tantum tuis augustis Natalibus nobilitatis addidisti.

Vnde profecto nemo non debet admirari, quantum in te claritas generis, & claritas operum inter se decertarunt, vt se se vicissim augerent, quo crescerent infinitum. Claritas enim generis bifariam tuorum operum claritatem exaggerauit. Primò generosos spiritus vnâ cum sanguine transfusos continuò ad bonum excitando, atque adeo vi quadam naturali impellendo: quo promptum fuit, vt egregia facta tua æquè multitudine, ac magnitudine præstarent: quandoquidem & frequentiora, & maiora esse, quæ à vi natuâ, quam, quæ ab extraneâ producuntur, necesse est. Secundò opera ipsa tua splendore suo illustrando: nam quemadmodum pulchritudo rerum eò pulchrior euadit, quò ab intensiori lumine circumfunditur;

Seneca,
phil. epist.
44.
Seneca,
trag. in-
Herc. fu-
ren. act. 2.

Ouid.

Cassiod.
lib. 3. Va-
riar. epist.
6.
Vellei. Pa-
terc. lib. 2.
D. Hieron.
epist. ad
Celand.

ita pulchritudo morum eò euadit splendidior, quò à prestantiore generis splendore illustratur. Claritatem autem generis tui bifariam pariter adauxisti gestis præclaris, dum in castris Mineruæ, & Virtutis, Sapientiæ scilicet, & Probitatis constanter meruisti. Primò conuertendo semen in fructus, fructusque reddendo pro semine

Cassiod.
lib.9. Va-
riar. epist.
22.

iuxta illud Cassiodori, *Semen generis morum fructibus reddidisti*. Secundò ipsa fructuum conditione, & præstantia, sapore ipso indubitanter demonstrando, germen tales fructus emittens ab stirpe regiâ pullulasse. Sciebas quippe, quàm verè ille ipse de insignitis nobilitate tantâ dixerit, *Quos omnia decet sub laude gerere, ut regia possint fulgorem consanguinitatis ostendere*. Hæc est enim indubitata nobilitas, que moribus comprobatur ornata. Nec te latebat verius adhuc, & ad rem aptius illud oraculum,

Math. 12.
v. 33. &
Luc. 6.
v.44.

Vnaque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Itaque Natalibus tuis opera tua non minus splendoris, quàm tua Natalia tuis operibus contulerunt,

Testetur id EMINENTISSIME PRINCEPS tuus ipse vitæ processus. Vix nouum ætatis annum impleueras, quando præclara tua, ac nobilis à naturâ indoles, admotis generosis stimulis, ad celebrem Academiam Salmanticensem fecit te currere. Ut ibi iam tum inciperes seriò agere de conquirendis, & comparandis ijs ornamentis animi, quæ & veram, solidam, atque propriam gloriam ingenerant, & deriuatam à Parentibus mirifice ornant. In eâ tenerâ ætate virtutibus simul, ac litteris vacare cœpisti eo progressu, quo, te Ecclesiastici Culminis non parum solida, ponere fundamenta, quisque posset facile præ sagire. Vigebat in te iam cum inge-

Ennod. in
vitâ B. E-
piphan.

nio acri prudentia, maturitasque morum senilis: & vt ille aliâs, *Cana consilia in
annis puerilibus meditabaris: vernabat in te præ ceteris mater bonorum operum verecun-
dia. Te quicunque vidit, cum necdum dignitatum aliquod limen intrasses, omnia transisse
ereditit, que sequebantur, insignia*. Huiusmodi virtutum decore clarum, & litteris iam satis imbutum, ac prævio, requisitoque in illis gradu insignitum, cum primùm per ætatem licuit, celeberrimum in eâ Academiâ Collegium maius Sancti Bartholomæi te ambivit, non tam te illustratum, quàm à te illustrandum nouo splendore. In illud itaque coptatus fuisti tum de tuis meritis eximio, concordique cunctorum plausu, tum Collegarum de nouâ sui Collegij gloria hilari, mutuâque congratulatione. In hoc Sapientiæ domicilio certissime iudicens quodd *Melior est sapientia
cunctis preciosissimis: & omne desiderabile ei non potest comparari*, prudentissimè in corde tuo cum Salomone Sapientissimo *Praposuisti illam regnis, & sedibus, & diuinas vi-
bil esse duxisti in comparatione illius: nec compatasti illi lapidem pretiosum. Quoniam omne
aurum in comparatione illius arena est exigua: & tanquam lutum estimabitur argentum
in conspectu illius*. Verissimèque propterea cecinit ille

Ad summam sapientis una minor est Ioue; diues,

Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Quibus igniculis accensus, & à domesticis exemplis nouo quodam impetu concitatus ad te magis, ac magis tanto Sapientiæ bono ditandum statutum in Collegio studiorum stadium studio indefesso, curâque intentâ cūcurristi. Eoque feliciter æquè, atque legitimè peracto, & publico, ac prærequisito examine de more præmisso, cum ingenti omnium acclamatione Lauream, & in vtroque iure Licentiatus gradum concordibus, atque plaudentibus suffragijs accepisti; tam decorè, vt ipsam Lauream, illustriorem reddideris. Dediisti enim potius, quàm accepisti, decus: & floruit in capite tuo Laurus, vt per eam florentissima alioquin Academiâ nobilius floreret.

Vix academicis functionibus imposueras finem, quando de tua Sapientiâ, alijsque egregijs animi dotibus labore partis, & nobilissimis Natalibus (aliâs Mundo notis) adiunctis fama volans, & Toletum perueniens te Cathedrali Ecclesiæ eius Vrbis Primati Hispaniarum, ac toto terrarum Orbe celebri adscivit, collata tibi ab Eminentissimo Domino D. Balthasar Sandoual, & Moscofo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

Cardi-

Cardinali, & Archiepiscopo Toletano Dignissimo vnà cum Canonicatu Archidiaconatus Talauerensis inclytâ, & pingui Dignitate. Interimque, ne tua sapientia otio languesceret, in Tolatanâ Academiâ publici Professoris Iuris munus subiisti, atque è publica Cathedra, cum publicoque plausu docuisti, quod in Salmantinâ didiceras. Quoniam verò multò plus est iura dicere, præsertim in supremis Regni Senatibus, quām iura docere; & tu semper sub quoquis munere ad maiora natus, & aptus es reputatus; mox à regiâ Curiâ euocatus in regio Sanctæ Inquisitionis Se- natu es positus tanquam in Catholicæ Fidei publico candelabro. Ut tamen luceres iuxta Ma- th.5. v.15. omnibus, qui in domo regiâ sunt, (idest, qui ad Regis Catholicî pertinent Monar- chiam), inde postmodum ad regium Aragoniæ supre munum Senatum translatus fuisti, eiusque Regens factus. Oportuit enim ut esset Regens, atque adeò & prudens Con- siliarius, & æquus Index homo tantâ sapientiâ prædictus: cùm ipsa Sapientia dicat de sc, *Menm est consilium, & aquitas, mea est prudensia, mea est fortitudo, Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.*

Prouer. 8.
v.14.

Ceterum hæc sapientia non qualiscunque, sed ea est, quam probitas morum adornat. Eaque sunt sapientiæ lumina in Ecclesiæ candelabris ponenda, vt luceant omnibus, qui in domo sunt, quibusq;ungitur, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum, qui in celis est.* Eruditio enim, & scientia rerum absque operum bonitate sapientem non facit, imo sæpe in- insipiente inuenitur. Quales fuerunt illi, de quibus Apostolus ait, *Quia, cùm cog- nouissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed euauuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Dicentes enim, se esse sapientes, Math.5. v.16. pulchri facti sunt. Quare B. Iob cap. 28. post longam sapientiæ inuestigationem con- cludit, *Ece timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Idque pro- uerbiale in modum. Cùm sapissimè significetur in sacris Litteris, sapientiam aut in timore Dei consistere, aut ab eo nasci. *Timor autem Dei ex vsu Scripturæ om- nem cultum, & obseruantiam erga Deum, atque adeò & omnem iustitiam, siue probitatem significat.* Vnde in eâ homines iusti, & probi passim *timenter Deum*, aut *timorati* nuncupantur. Itaque siue iustitiæ, & probitate morum lux veræ sapientiæ non est.

Ad Rom. 1. v.21.
Iob.28. v.28.
Gasp.San.

Quod cùm & augustinæ indolis, & perspicacis ingenij, & assentientis gratiæ lumini- bus irradientibus, perspectum semper tibi fuerit **CARDINALIS AMPLISSIME**, non minus, imo plus studij impendisti in virtutibus comparandis, quām in litteris ad- discendis, nec minus de exercenda honestate morum, quām de augendâ scientiâ rerum fuisti sollicitus. Quo factum est, vt probitas, ac iustitia tua illa sit, cui applicat Aristotelis illud vetus proverbiu-

Iustitia una alias virtutes continet omnes.
Arist.lib.
5. Ethic.
cap.3.
Sapientia autem tua ex litteris atque virtutibus conflata ea, quam descriptit Ia- cobus in epistolâ suâ, cùm dixit, *Qua autem de sursum est, sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fruc- tibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* Depinxit etenim hisce verbis Apostolus pulcherrimam eam veræ sapientiæ, atque adeò probitatis formam, quam de sursum quidem tibi datam, (*Nam omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum*), sed te quoque nihilominus cooperante perfectam omnes in te suspiciens, semperque suspexerunt.

Iacob. 3. v.17.
Iacob. 1. v.17.

Longum esset, & tu & modestia permolestum distinetè, & sigillatim commemo- rares partes omnes tactas verbis Apostoli, ex quibus sapientiæ, ac probitatis tuæ pulchritudo componitur. Non possum tamen ad propositæ veritatis confirmatio- nem non libare generatim saltem, & leuiter propter eos, qui te in Hispaniâ non- noue-

Ad Rom. nouerunt, vt ego noui, eam, quam ibi ducebas præclaratam conuersationem, &
6. v. 21. vitæ formam. Viuebas profectò. Et verè viuebas: quia Deo viuebas. Verè vi-
1. Petr. 2. uebas: quia iustitiae viuebas. Verè viuebas: quia non tibi, sed alijs viuebas, se-
v. 24.
Seneca, quutus sententiam eius, qui dixit. *Alteri viuas oportet, si vis tibi vivere.* Viuebas,
epist. 48. inquam, cum tanta virtutum, ingenuorumque morum celebritate, vt omnium
Cic. dial. amor esse. *Nihil est enim amabilis virtute; nihil, quod magis allicit homines ad dili-*
de Amicit, gendum, vt verissimè Cicero. Quòd si nuda virtus ad sui dilectionem rapit vndi-
que: qualiter ex te rapere, necesse erat, virtutem cum regi nobilitate coniunctam?
Diligebant te cuncti: quia cuncti suspiciebant in te in ætate adhuc florente pruden-
tiam, & eruditionem, quam etiam in sene mirarentur. In summo eius ætatis flu-
ctu, in quo pauci verecundari discunt, summam animi integri, ac puri verecun-
diā. Moderationem in potentia, qua solet in alijs fastus gigni, & nutriti. Tem-
perantiam in opulentia, quæ non tam coarctat, & corrigit, quam dissoluit, & laxat.
In libertate denique illud pietatis, religionis, & sanctitatis studium in moribus, il-
lam in vultu grauitatem, atque modestiam, vt, cùm extra religiosorum claustra
viueres, religiosorum tamen in morum puritate, in viuendi formâ speciem præte-
ferres illustrem probitatis. Ad quam modestiam (quod necesse est) tanquam ad
domesticum, & viuum exemplar honestæ disciplinæ sic se tota studiosè componebat
Familia, vt non in splendida, atque copiosa domo aulicos mores, (qui non semper
solent esse sanctissimi), sed in claustro, seueriorisque disciplinæ schola religiosos
hausisse videretur. Quare, cùm tua te merita ad purpuratorum Patrum, & Pontifi-
cio proximum Ordinem extulere, neque temerè, neque immerito dicere prudens
quisque poterat, ornata videri in ætate iuuenili adhuc, atque florenti senilem pru-
dentiam, matûrum iudicium, eruditionem antiquam, religiosam modestiam, &
morum in omni studiorum genere grauitatem.

Sed contineo me, quod vix à me in te obseruantia impetrare possum. Et
egredior ab Hispania: quia me Roma vocat. Cui certè hispana de te narratio su-
peruacanea videri possit. Cùm ea ipsa suis abunde oculis palam intueatur, & pu-
blicis citra exceptionem laudationibus contestetur tuæ spectacula veræ sapientia, ag-
probitatis. More Solis idem Romæ atque in Hispania appares: & alias. Idem
eadem constantia sapientum, ac sanctissimarum actionum, quas enarravimus. Alius
varietate earumdem actionum in diuersis, ac præstantioribus muneribus. Semper
tamen illustris, amabilis simul, atque admirabilis. Hic in te commendat præclaram
in Deum, in sacram Eucharistiam, in Cœlicolas, in piaque Vrbis loca pietatem.
Ille prædicat inexhaustam erga pauperes liberalitatem, misericordiam erga egenos,
clementiam erga humiles. Alij celebant insignem erga Litteratos, Religiososque
viros benignitatem. Omnes demum amant, & complectuntur constantem, com-
munemque erga cunctos omnis generis homines, sed tibi singularem, humanitatem.
Suet. lib. 8. Ut (quod magni illius imperatoris Titi quondam elogium fuit) nemo à colloquijs,
conspicuque tuo tristis vñquam discedat. De teque planè dicere liceat, quod de-
codem Tito fuit dictum, *Amores, & delicia generis humani.*

Quid ergo mirum si Gloriam tuam à Nobilitate inchoatam, auctam à Sapien-
tiâ, à Probitate perfectam Dignitas merita coronat. Purpura ista, quam geris
splendore magis imbuta, quam colore, insigne est Nobilitatis, Sapientiæ argumen-
tum, testimonium Probitatis, & corona Gloriæ tuæ. Neque sefelliisti spem seu po-
tentissimi Philippi Quarti Hispaniarum Monarchæ tibi Purpuram destinantis, seu
Sapientissimi Alexandri Septimi Pontificis Maximi eamdem tibi impertientis. Si
quidem vtrique tuam operam, soleritiam, industriam, prudentiam mirifice semper
adprobasti; in grauissimis præsertim negotijs tractandis, componendisque, quæ oc-
currerunt, dum eiusdem Regis Catholici apud eundem Summum Pontificem.

Orato-

Oratorem, atque etiam Plenipotentiarium pro Ligâ contra Infideles ineundâ dignissimè ageres. Quanta quippe in hisce tum commissis muneribus, tum obuenientibus negotijs tete dexteritate gesseris, tam publicum est, vt ampliori non egeat narratione.

Talis cum sis EMINENTISSIME PRINCEPS, nemo iam poterit non probare consilium, quod me in tuum Patrocinium adegit, vt Opus, alias DEIPARÆ oblatum, tuæ quoque protectioni commiterem. Cuius, vt liquet ex enarratis, tanta apud homines est auctoritas, gratia tanta, quanta tam rude, & impolitum opus egebat, vt saltem insignitum tuo nomine censuræ publicæ, & iudicij hominum, non semper æquissimis, sine temeritatis notâ subijceretur. Accedit ad hæc propria quædam, & potentissima ratio ab officio orta animi non immemoris, aut ingrat, qui beneficium agnoscit, & illud monumento publico testatum esse vult. Ea insuper permouit me ad consecrandum tibi Opus istud. Vt nimurum hoc pertenui, rudi que munusculo quasi quodam legitimo testimonio profitear, quantum tibi, Tuorumque familiae amplissimæ nostrâ debeat Societas. Testor Assistentiam Hispaniæ, per quam totam dispersa Tuorum lumina, non facile dictu est, quantum suæ beneficentiaz radijs Religionem nostram foverint, & illustrauerint, continuoque souent, & illustrant; siue nouis foundationibus Collegiorum; siue fundatorum augmentis; siue alijs muneribus, & eleemosynis nec infrequentibus, nec exiguis; siue protectione ab æmulis; siue defensione ab iniurijs, siue ipso operarum nostrarum usu; siue omni demum genere aliarum gratiarum. Neque abs te, & Tuis, præter præterita, minora in posterum sibi Societas promittit, & sperat. Quare, cum tantæ spei, tamque prolixæ liberalitati respondere nullo modo Societas possit, quod potest offert lubens, & grata. Neque enim hæc mea solius est, sed conspirans totius Assistentiaz Hispaniæ vox: quæ per me & gratum animum, & promptam voluntatem significat.

Accipe igitur HYMANISSIME PRINCEPS hoc quale quale Opus, hoc quale quale munusculum exiguum, & leue; vt & illud vicissim accipiat ex tuo Patrocinio, ac Nomine, quod ab auctore ignoto, & humili haberet non potest; & de eximiâ tui, Tuorumque erga Societatem nostram beneficentiaz, deque eximiâ nostrâ erga te, ac Tuos gratitudine, & obseruantia sit (vti optat) nec exiguum, nec leue testimonium. Faxit utinam Deus, qui te ad purpuratorum Patrum augustum, & sacrum Ordinem excitauit, vt & diu te Ecclesiæ suæ, nobis, ac omnibus vniuersè seruet in columem, & nouis quotidie coelestium augeat donorum incrementis. Vale.

EMINENTIAE TVAE

Obsequentiissimus seruus in Christo.

SEBASTIANVS IZQVIERDO
SOCIET. IESV.